

# GLOBI TERRÆ STRIS, SEV GEOGRA- PHICI DESCRIPTIO.



D conuexum Globi signetur punctus A, è quo duæ aut tres de-  
scribantur circulorū circumferentiae, quarum remotissima in qua,  
tuor æquas partes diuidatur in C D E F punctis. Applicetur  
autem puncto A cartacea aut plumbea regula, quæ scilicet hinc in-  
de flexibilis sit, & ex eo per singula sectionum puncta ducantur  
lineæ, quæ reliquas quoq; in totidem partes æquales secabunt.

Hæ deniq; in oppositam ipsi A puncto partem producantur, fi-  
niq; sectionum harum assignetur B nota. Lineæ autem ab A in B, bipartiantur in  
G puncto, & circini uno pede in A aut B puncta posito, altero uero in G extenso  
describatur æquator, qui in 360 partes æquales secetur, & per singula 15 puncta  
ducantur circuli secundum quantitatē A G arcus, & hi quidem longitudinum, quo-  
rum numerus incipiat in C puncto, uergatq; per D E F puncta in C usq;. Porro  
arcus A G B in 180 partes æquales dispescatur, & ex A centro super puncta diui-  
sionum per denarium distincta, ducantur circuli latitudinum, quorum numerus in  
æquatore incipiat desinatq; in utrisq; polis. Iam à polis & æquatore in utramq; par-  
tem numeretur maxima Solis declinatio, & è polis super terminationum puncta de-  
scribantur circuli polares & tropici. Is enim qui circa A polum reperitur, est circu-  
lus arcticus, qui autem in eius opposito, antarcticus, Tropicus quoq; inter æquato-  
rem & A notam est Tropicus Cancri, reliquus uero Capricorni. Deinde A G B  
arcus seorsim in linea fiduciæ diuidatur in partes 180 æquales, sicut antea de arcu  
A G B dictum est, quæ affigatur polis Globi, huius autem numerus, ut in arcu A G B,  
à G puncto polos uersus ambulet. Tabule igitur regionū longitudinū latitudinūq;  
locorū terrestrium partes indicabunt. Numeretur itaq; longitudo loci in æquatore  
finiq; computationis applicetur fiduciæ regula, in qua latitudo loci cum parte sua nu-  
merabitur, in quadrante quidem A G, si ea septentrionalis fuerit, aut G B, si meri-  
dionalis, terminoq; huius in globo assignetur punctum, cui loci nomen ascribatur.  
His igitur ita descriptis, fluuiorum origines & tractus, sylue quoq; montes & littora  
maris (in immensum enim excresceret uolumen, si singula hoc in loco curiosius  
perstringere uellemus) ex descriptionibus Cosmographicis uniuersalibus desuman-  
tur, eaq; in globo eadē penitus ratione depingantur. Hac autem in parte summas tribue-  
mus doctissimis uiris D. Orontio Fineo Delphinati, & D. Petro Appiano in de-  
scriptione cordis Cosmographici, D. uero Gemmæ Frisio in Globoso corpore,  
quos hac in re consulendos potius duximus, quam quod fastidiosa prolixitate libri  
animo studiosorum obstreperemus. Postquam autem ea ex Cosmographicis de-  
signationibus desumpta fuerint, paretur meridianus è materia solida, qui in 360  
partes æquales, diuidatur & numerus ab æquatore uersus utrosq; polos procedat,  
cuius poli orbiculos habeant, sicut linea fiduciales, quorum centra erunt in punctis  
intersectionum meridiani cum gradu nonagesimo ab æquatore. Ipsis quoq; ho-  
rum centris perforatis, meridiani poli Polis sphæræ seu Globi affigantur, ita tamen